

ZONA TORRIDA
IN AQUILONE.

SIVE

DIVUS
FRANCISCUS
SALESIUS,
GENEVENSIMUM EPISCOPUS,
Ex Tertio Ordine S. FRANCISCI
DE PAULA.

In Thaumaturga AMORIS Ecstasi
Mundi Erigescantis SPIRITUS.

Pragæ in Ecclesia Salvatoris, in urbe Veteri,
apud RR. PP. Ordinis Minimorum

S. FRANCISCI
DE PAULA.

Coram Auditorio Academicō, Die 29. Januarij.

Anno M. DCC. IX. Panegyrico celebratus.

à P JOANNE JOACHIMO VERNIER,
Societatis JESU Religioso.

Pragæ, typis Universitatis Carolo-Ferdinandæ in Collegio Societatis JESU
ad S. Clementem.

HONORI
ET
VENERATIONI
ILLUSTRISSIMI
DOMINI DOMINI
FRANCISCI
CAROLI
S. R. I. COMITIS

DE

PÖTTING,

Domini in Rabenstein, Swietla,
& Pawlikow &c. &c.

Sacræ Cæsareæ Majestatis

Actualis Camerarii,

HÆRETIARII BURGRAVII

Lientii in Tyroli,

DOMINI DOMINI
PATRONI VENERAN-
DISSIMI.





ILLUSTRISSIME DOMINE DOMINE C O M E S



Ratulamur parvitati Nostræ , dum magnitudini Tuae accidimus ; et feliciori votō , quō proniorem in minimorum familiam , Te deveneramur Comes Illustriſſime . Aram quandam in Te ſuspiciimus , ad quam , benevolentia Tuā provocati , dum eluctamur minimi ; DIVUM SALESIUM in honoris Tui auctarium appendere meditamur ; quō Illuſtrissimo Nominis Tui ſplendore , & tenuitati consulamus noſtra , & Sereniffimo gloriae Tua meridie illuſtremur . Suspicit hunc in Te orbis Czechicus : dum vivum Majorum Tuorum ſibi in Te gratulatur egyptyon : Imò Majorem colit . Illis enim una gloria ſufficit orbita , Tibi orbis non ſufficit . Collegisti in Te unum , quod per ſingulos ſparſum : insuper & coronasti . Gaudent etiamnum magni Majorum Tuorum Manes , ſe in laureata Magnitudine Tua perennare . In Te inquam : quem Illuſtrissima dederunt incunabula , non tan-

tantum ut sanguinis Majorum esses collectio, sed exemplum: Quod raro exhibes documento, dum laborum spectamus coronidem Te ipsum, coronam Majorum. Felices anima! quibus posteriorum virtus, erigit laudum Collosos; qui sunt, & felicitatis Patrie Atlantes, & publicorum votorum Cynosure. Velis cant ad has orbis desideria; & insulas fortunatas, apertus ad omnes affectus Tuus facit reperiri: quia maximam reputas fortunam, orbè Te posse prodesse. Admittis dignitatem, quia laborem: in labore, amas salutem subditorum; tanquam non laborum premium, sed authoramentum invicta solertia sit. Unde mereri mavis maxima, quam adipisci. Donas pulcherrima facta Patria, non plausui: quibus & orbis eruditur ad sequelam, & necessitates Tuorum sublevantur. Unde umant Te pupilli, ut pupillam; quos in cordis fers sinu. Amor diceris populi, cuius Pater es. Siccioris fortuna fontes, munificentia Tuæ coronas; & immortalem Nominis Tuo paras lauream. Alii, vel à Martis fago, vel togâ, gloria vendicant compendium; Tu ab utroque: & Sagatus à Majoribus Tuis, & tegatus à consiliis. In quibus dum auspiciem, & coronam DELLM respicias, Major sis Majoribus: hoc solo retento Tibi pretio, ut Tuam magnitudinem amittas coram Maximo. Eduit inde facinus hoc in fanus, dum ibi gloria incbras auspicia, ubi metam Alcides fixisset: Fatigasti aspiduò virtutum officia atatem totam; ne felicior, aut major esses, quam melior.

Hec pulcherrima virtutum decora, dum submississimò reverentia homagiò suspicimus, DIVI SALESIL ecstasicum Amorem pietati Tua flagrantissime dicamus. Affectui dedicamus. Suscipe candidissimo benevolentie Tuæ annutu, opus hoc multò quidem inferius meritis, non tamen pietate: Aestima obsequium Minimorum, quos, cetera probando, Maximos non semel effecisti. Quis, magnitudinem suam, imò parvitas, Tuis dum mancipant obsequijs, aeternum devincti manent.

P. MAXIMILIanus Rus Corrector,
& Conventus Sac: Ord: Minimorum
S. Francisci de Paula, Pragæ ad S.
Salvatorcem.



ORATIO.



Abulosum superstitione Gentilitatis delirium, ef-
fœta Deorum est genesis: nescio quō Græcia
tripode male excoacti Deastris; quos seu adulteria
Deorum Lucina profudit Græcia, seu indigesto
Latris magisterio, dedecorosa metempsycho-
ses serie, hinc mugientem in tauro Jovem, illinc
latrantem in cane Mercurium, inde mutientem
in hirco Pana, præpoitro homagiō infamis Agyptus adoravit.

Indignor Lybiæ, cæcutienti ad solem talpæ! quæ profligata ex
animi Pharsalia Numinis cognitione, & Lunæ poplites lunat luna-
tica, & Solis sideri, accidit siderato latreutica. Suspexerunt coro-
nati orbis Enceladi, tatum hoc Lybiæ commentum, & in trabalem
vesaniæ impegerunt ramum, dum aut vilem truncorum plebem no-
bilitarunt in Deos; aut speciosa plumarum iride, regiâ velut investi-
turâ, inaugurarunt accipitrum rapacitatem; aut squammatos Ne-
ptuni Proceres, in sagatam Palladem armârunt in Axyrinchis cum
Babylonii. Alii denique propudosos abortientis naturæ partus,
monstrorum Cynocephalos delirâ apotheosi plasmârunt in Numina,
cum Hermopolitanis. Tandem umbratilem exosi Divinitatem,
aram, an haram? architectati sunt cum Atheniensibus (infames Dæ-
dali) ignoto DEO.

Proh! execranda Numinum simulacra! Nominum stigmata! in
stygem, Erebique paludes damnandas Deorum umbras!

Procul hinc! procul este profani!

Non cælo Paulano, Gentili orbi, notus est tam vastus Deorum syl-
labus. Ardeat in vindices temeritatis cometas, sacratoriis fax Hero-
strati, & indigestam commentitia Divinitatis scoriam ultiore exci-
di cinere castiget! Sacrilegum fanorum detumescat supercilium,
Agyptus in busta fumet, rigescat in cadaver Deorum Pantheon: fu-
moso Præficarum buxô lessum admirmurante. Cedant haræ, aris!

idola, tiaris! & augusto adoret homagiō Duliæ fāscē infascinatrix
Circe Idololatria.

Et en: aræ novo efflorescunt thaumate in portenta. Stat aræ in medio, Numinis, an hominis imago? hæreo: ita sibi similis, ita dissimilis; nec Proteus, nec constans, sed omnia. Vertex tornatur in obryzum, eburneam lactat frontem Galaxia, ciliorum arcus venu-stant gratiæ, oculos accendent in soles Tyndaridæ, nivium narcis- sis pingunt Lythodendræ genarum areolas; paestano labia murice cerussat Flora. Verbo: fronti, velut clavo præsidet togata cum Ma-jeestate sapientia, lacteō ciliorum velō religiosa decoratur humilitas, Angelica in animata oculorum crystallo hospitatur modestia, Virgi-nea in genarum purpurisso erubescit verecundia; ora cattus liliorum lacte candidat amor. Toton denique capite Intelligentia, facie An-gelus, mōribus Virgo; zelō Apostolus, amore Seraphinus.

Virgil.

Quis omnia plena.

Spectemus Seraphinum in amore, amorem in Seraphino. Et en: subito frons ardet in zonam, torridam diceres; pupillæ igne-scunt in pyropos, genæ flammescunt in carbunculos, labia spirant Cherubinos; pectus, ætna; cor, ignis; medullæ, cinis. Subjectam iconi illustrat flamma epigraphen, exinanita inscribit humilitas: NI-

Ex Vita.

HIL. Hem me! quid sibi vult toties in novas reflua formas simula-chri metamorphosis? cur ingenii Lucinam in novos cogit partus, orationisque flumen, dubio haurit Euripo, & novis irretit laby-rinthis imbecillem styli balbutiem? Pro Salesii dicturus causa, vestra hodie consendi rostra, Patres Religiosissimi! & dum sollicitâ animi indagine meum per aras insequo Salesium, assequor grande Nihil. Sed bene habet: non fatigabo per florida luxuriantis svadæ Elysia, erudito sudore eloquisten stylum, cùm de SALESIO grande etiaw dicam nihil. Imò parcite: imago nihil, grandis est imago SA-

r. Corint. c. 9.

LESII. qui *omnibus omnia* futurus, factus nihil. Incineravit hunc chymicus amor in nihilum, & sacratiorem in Olorum choro ani-mavit Phænicem: quo modulante, & thaumaturgum nihil abiit in Salesium, & SALESIUS vixit in Christo. Amoris hæc genealogia est; amantium corda, Caistoris & Pollucis, alternâ morte in uno vivere. Vivit SAL E SI U S, sed vitâ alienâ. Vita Salesii, Christi Spiritus. Hoc portentum: Spirat SAL E SI U S amo-rem, exspirat Christus; amat Christus, & SALESIUS ardet in Christo; unum utique centrum: unus utriusque amor. Genuinum

in Christo Prototypo , Ectyon SALESIUS . Nè miremini ; cestaticus amor est : negat amantes esse sui , sed amati . Hæc thaumaturga amoris Ecstasis : quâ SALESIUS fit amor . Et quia unum cum Christo , propè Christus . Hinc geminam nè quære imaginem ; imago SALESII imago est Christi . Exinanivit se Christus , & accepit formam SALESII . Annihilavit se SALESIUS , & induit Christum . Explicaret in mappam purpuram , ostrum in colorem , purpurata Cardinalis eminentia , si Berullius foret Parrhasius ; & in SALESIO , veram Christi effigiem ad vivum adumbraret . Damno Ex Vita. ad umbram stylum , dum solem testem appello Frogrium : qui toties Christum adoravit , quoties Salesium suspexit . Suspexerunt ex purpurata regni specula , Henrici coronata liliorum Imperia , Angelæ Angeli Jacobi , Emmanuelis Sabauidæ , Clementes Italiæ ; & in SALESIO , ectypam incorporati DEI faciem adorârunt . Huc decempedam : incorporatam in Christo SALESII metiamur magnitudinem . Sed ecce ! Gigantea magnitudo in nanum detumescit , Natus iterum in grande nihil : ego peccator nihil . Apage ! præcocis argumenti scrutinium : imò stylus in gloriæ acuatur trophæū ; quan-^{te 3. f. 6.} do exhumata humilitas , amoris est exinanitio . Decrevit hic in ato-
mum , ex atomo in punc̄tum , ex punc̄to in sui nihilum . Ità nem-
pe : Innocentem fecit Amor peccatorem ; quem hominem esse paſlus non est . Hoc paradoxum : amoris , non doloris audite exhomolo-
gesim . Confitetur SALESIUS : ego peccator , nihil , homo non sum . Patere Divinissime SALESI ! Túque Religiosissima Minimorum Fa-
milia ! unica hodie vestra in Basilica liceat absolutio . Imò non eget homologeteriò publica confessio . Eminentia Baronii plenariam impertitur absolutionem : SALESIUM in Adamo vix peccasse . Bene Ex Vita par- habes ! Divinissime SALESI : homo non es , quem amor sublimavit 3. cap. 7. in Seraphinum ; & laureata ecstaticum inspiravit virtus amorem . Arsit in Te Minimorum maxima Charitas , & expugnata innocentis oculorum metropoli , laureatos suos erexit falces . Fatiscit jam grande Aqvilonis molimen , & frigidum illud suum classicum : refri- gescat : in charitatis animat epinicia , dum laureata amazon charitas icto cum gratia fædere SALESIUM in Spiritum distillat . Di-
cite amabò Chymici , quæ Spiritus hujus essentia ? Spiritum mundi jurant omnia animantem ; accepto assertum . Ità est Patres Religiosissimi ! Ecstaticus SALESII amor , mundi in nivea scelerum ca-
nitie frigescens est Spiritus . De quo Amoris Spiritu , quòd si

& ego frigidè , densato in glaciem orationis flumine peroravero ,
parcite ! non dicam tamen finè amore. Animabit emortuam ora-
toris dictiōnē S A L E S I I amor ; & qui Christum loquebatur ,
etiam cùm taceret , audiet amantem se , etiam tacentem. Modum
nè lydiō tentetis ; dicam finè modo , quia de amore , & legis , &
modi nesciē. Ad modulos tamen concinna erit , si thaumaturgā
SALESII ornata charitate. A qua dum incomptæ orationis Li-
burnicæ suspiro Aplustria , vos Patres Religiosissimi ! gratiæ affun-
dite oleum , quò facilius ; & benevolentia aspirate Favonium , quò
felicius provehatur. Favete.

TUmuerunt fastu Paganæ arrogantiaæ fasti , Gentilia Romano-
rum volumina , immatura parturientis naturæ portenta , do-
nec seculorum tumulata cinere , vel edaci tempori , in opiparam
cessilent offam , vel inquieto tinearum denti in trophæum. Lu-
dit etiamnum , non diffiteor , ingoniosa illa rerum procreatrix natu-
ra , ut orbi sibi acciduo illudat. Et cujus sæpè numerò ortum ,
Phosphori inalbavit bracteæ , illigataque fascijs prodigia addixit in
lucinam , occasum tragico Hesperi funestat cometæ ; ut lucretur fa-
scias , fasces perdit etiam porphyrogenitorum. Signavit , vaticido
sanè stigmate , Scleucum , præcocis spei partum , jacta in crystalli-
num frontis mare anchora ; & vanam in anchora spem fixit Græ-
ciæ. Signavit lacertum , ensis fulmine Castrion , gemelli magni
Macedonis , quò tumescentia Lunæ Muselmannicæ cornua erat in
deliquium acturus ; & trepidare fecit Asiani. Solvit adhucdum in
primo natantem balneo Zoroastrem in amænas cachinnorum Sire-
nes , & æternatura famulatricis fortunæ portendebat basia : At bal-
neum vertit in naufragium , in Circen Sirenes dementavit : post-
quam in Zoroastre Magorum educavit primipilum. Facestis fal-
lentis naturæ prognostica : grandiora longè , aut discere , aut stu-
pere docta in ortu SALESII : dum saniore phænomeno thauma-
turgo præluxit Phosphoro ; & excusso naturæ jure , priùs vidit in
prodigio SALESIUM , attonita , quām hominem putarit. Ple-

*Ex vita par:
t. c. ro. Pre-
venit nativi-
tatis tempus ,
mensē septi-
mo.* bejum enimverò exosus horoscopum , ab amore in cunis sublima-
tus supra naturam ; dum nativitatis propriæ ordinem antevertit ,
ut nimirum maculam maturius elueret originalem , & gratiam antici-
paret baptismalem. Quā paludatus : ubi alii vix homines , SALE-
SIUS jam Christianus ; Jam tunc amoris filius , dum alii iræ.

Lacta-

Laetavit SALESIUM amor, & cum laete melleus Innocentiae Emmanuel, amoris bibit nectar. Unde Hyblam locutam suis se SALESII infantiam, ne mirare : dum illum in oracula, ligatus in cunis ? an in miraculorum orchæstra ? solvit Amor. Obmutescunt amarō frontis nubilō Dodonæa, & Delphica rudi musitant murmure, dum orbis, arcano in aurium conclavi ponderat Salesiana. Prima vox, imò vocis oraculum : an SALESII? an amoris? problema esto : *DEUS me plurimum diligit.* Hæc veritas : vix animatum jam Divinus Amor, cor Salesii erexit in trophyum. Jo ! Salesium plaudere Castellum ! in amoris castrum effloruisti. Ex Vita : na- Oppugnat SALESIUM Divinus amor, ut priùs dilectus, quām sus in Castello Salesio.

Invideo montanis Rhetiæ, thaumaturgum partum SALESIUM, quem tulerunt. Feliciora Idalia tesquis ! ardere poterant, & debebant in Vesuvios, amoris succensa æstrō, sacratiorem SALESII Vulcaniam persentiscentes. Fovitīs (gratulor felicitati vestræ) laureati montium Gigantes, Gigantum montes, Alpium Principes, enascentem Divini amoris Ætnam SALESIUM : Illustriori indè arsuri fulgore Nominis, etiam declivia vallium favistis animari præcipitia. Hoc paradoxum : quem maximum tulistis mundo maxiina, duo hunc formarunt Minima. Nec aliter formari voluit, nec potuit à Majoribus, quām Minitis; ut foret Salesius.

Vos estis Minimi Maximi, Minimorum Familia Patres Religiosissimi. Junxit Vobis subinde Minimis, minimam SALESIUS JESU Societatem, ut charitate ambæ Maximæ formaretis SALESIUM : & quid tandem aliud, quām Ecstaticum amorem? Adstrinxit Vobis SALESIUM Gratianopolis, ut ab illa effletis gratioſi Minimi, à Salesio Maximi, ab amore thaumaturgi, verbō: Paulani. At: efformavit & sibi in honoris auxelin, Vobis in gloriaræ complementum, SALESIUM Societas JESU Claromontana. Nec abs re: similis, simili : Quia utraque familia minima. Profusa futura Societas, & opiparo pastura affectu Paulanos, Nomen JESU, Societatis characteristicam, oleum effusum, affudit vobis Patres Religiosissimi in condimentum. Gustavit & hujus fructus orbis, dum nitior Pallas laureato cum Musarum Gynæceo suum in SALESIO suspiciebat Apollinem, Gymnas amabat Ganymedem, Societas ferebat Angelum incarnatum.

*Creux: pars
i. c. 3.*

*Ex Vita : na-
sus in Castel-
lo Salesio.*

Ex Vita. Entheatum historicographi audiamus testimonium : *omnia quæ fecit, innocentem spirabant amorem.* Gratiæ Angelus, amoris vixit Spiritu ;
Zanovius imò virtutem, fecit Angeli naturam : Quando *omnes Angelorum do-*
An: 1653. *tes unus complexus est : Coronatum Henrici IV. Galliarum Re-*
gis est oraculum. Speculate amplius : non cæli, sed mundi Intelligentiam. Speculatur mundum, mundissimus ; dum ad Aristote-
licam evehitur violam epomidatus Amor. Stagiriten audit Lu-
tetijs, & Lutetiae in Salesio Stagiriten. Hoc discrimine : quòd
illum sales Euripi fecerint insulsum, hunc virtus sapientissimum ;
postquam naturam cum orbe habuit discipulam. Felicior stadio-
dromus : cui non unum efforuit stadium, in laureatam Daphni-
dem, sed totius vitæ cursus Innocentia bravum factus, gratia-
candidato. Nec tamen sic lubricam mundi decurrit Peripatum,
ut dolosâ Labyrinthi compede non implicaret **S A L E S I U M**, a-
moris Theseum. Suspexit Patavium Jurisperitum, & parem ne-
minem : Paridis, clarissimi Camberii, est judicium ; mox suspe-
eturum amoris Consultum. Fit Padua, pedica : Meandri, Juris
Collegia : Centaurus, Pellex. Heus Te **S A L E S I** ! hoc Ve-
neris, non Juris corpus ! si cælum es ? fuge Venerem, Pudoris
Hesperum : Nè lubrico excutias lapsu innocentiam, Cave : stat
jam in casum parata scelerum Dalila : Oculos accedit in faces He-
lena, imò Lena : quibus innocentem fauinet Parida. Verba, pro-
Juris textibus, comit in lenocinia ; lenocinia dulcorat in Ambro-
siam : Illis, ut Virginitatis infirmæt integritatem ; hac, ut infasci-
net. Vocem in dulces frangit fusurros, quibus alliciat ; fallax
Sirenula ! Mox ridet, arridet, blanditur, jocatur Circe benefica.
Quid ad hæc Salesius ? Sacratior Anteros : Amor est, Veneris non
est abortus. Non eget Ulysse, Circes domitore. Cantat Si-
ren, Orpheum non incantat Salefum ; blanditur Helena, The-
seum non movet **S A L E S I U M**. Ganymedem luxuriantis va-
nitatis floribus dementent Floræ, non laureatos virtutis Gigantes ;
quibus & lubricum, & solidum iter virtus gelavit in mar-
mor. Stat incorruptus Areopagites ; utque de Venere castus tri-
umphet Amor, densato in jaculum phlegmate, ridentem in oris
Salesius Le- Elysio Venerem fixit, & blandientem transfixit. Imò quam bul-
niam sputo lä prognatam nauseat Venerem, in Lenæ facie, mortuo gratia-
abigit teste Raynaud: in mari, sputo mergit : Atque ita Sarcophagum naæta, ubi nata.
Hagiolog: Sed nec sat erat meruisse libidinem ; titione ardente, caminis af-
Lugd: fvetam

svetam abigit Megæram , fugat , domat ignibus ignes. Alter Thomas ! Angelus à lilio , Aqvinas à Lauro. Hanc dum nequit in lauream , purpuratae Theologorum Maldonati , & Sirmondi ^{Vita pars.} addicit sapientiae ; nè , qui par Angelo , impar sit Aquinati. ^{U. cap. 10.} trunque comprehendit ; Angelus Angelicum , SALESIUS Aquinatem . Id mirum : duos in unum Angelos coaliisse : Intelligentiam in Seraphinum , Seraphinum in Intelligentiam . Nodum solvat Oedipus , uter eorum in uno major ? non capit Ariosteus Proteum ; vos nè miremini SALESIUM . Cordium , non formarum campor : Proteus non est. Semper idem : Idem Lutetij in epomide , Paduæ in galero , Sorbonæ in pallio ; ubique idem Salesius : ubique alius : ubique Amor. In viola Philosophus , in bireto Juris-Consultus , in torque Theologus : ubique SALESIUS . Mentem laureatæ Palladi favit in uterum , cor Amori in regiam. Ingeniosus amor : annuli Piscatoris unio ! Huic pretium additurus , in unum univit Palladem secum : & Sanctissimum ex Cathedra Vaticana audijt oraculum : *Eximie doctus ,*
& Sanctus est Salesius : Doctrinâ eximus , amore sanctus : utroque ^{Ex Vita.} thaumaturgus. Alios nana cancellat terræ portio , SALESIO angusta fit Augusta Galliæ Sorbona ; Vaticana sapientia gazo-phylacia , paludata Paduæ Collegia , Clarissima Claramontii Gymnalia , coronata Academiarum Lycæa , Palladis Athenæa. Nec mirum : dum Salesiani intellectus , orbis est compendium , & Epitome Amoris. Optaret amor , ut plures forent mundi ; cuperet & sapientia : ille , ut succenderet ; hæc , ut illustraret. Triumphate jam mysteriosæ orbis animæ ! feliciores Minervæ ! in laureato capitio SALESIANI capitolio , sacratioris Jovis , universæ litteraturæ panopliâ eruditæ. Amabile vestrum junxit fascibus , & facibus Amoris Imperium ; coronato SALESIUM inaugurâstis honore. Bene habet : non indignor politico amoris ingenio. Fæderabit sapientiae coronis Principes adores , & paludatam gloriæ Eminentiam fascibus obligabit Sanctitas Vaticana. Et en : Bar-Jonæ , filii columbae , instructum alarum remigio pacificum volat decretum ; Amorem SALESIUM Romam evocat. Eja ! progredere Divinissime SALESI ! scio quidem Te in Minimorum cella , an cælo ? celari , velut asylô ; ut bracteatam honorum auroram in primo roseo suo ortu suffoces , & Augustam purpurati Collegii Eminentiam elidas. Chamæleon non es ,

es, auræ popularis auceps. Sed incassum humili ambitu, umbrarum sifariò, Tuam obvelas Sanctitatem. Crystallino Te prodent ore garruli Pedemontii rivuli, prodent profundū remugientes, altaque annorum nive decrepitæ Sabaudiaæ rupes, amori dulcem refundentes Echo. Prodent te spelæa, lucidis sanctitatis Tuæ radiorum accensa fulgetris. Non fugis, ut fugias; ut capiaris,

Ex Vita: Ray-Amor. Cape consilium: progredere! prodigiò ad aram accitus
nau: in Ha- Mystes, prodigiò eris Præsulum Eminentiae. Eat orbis in thea-
giol:Lugd: trum! Quirinalis Curia in Scenam, Amor induat Antagonistam: Spectator sit cæli, terræque oculus. Huc diligeri astrorum Choraulæ, mellisonum dulci epos Amori adornate! Huc innocentes amorum flammulæ, candicantes innocentia nitidulæ, stellei ocelluli! amorem illustrate: SALESIUM adorate! Nec mora: revelatur sifarium, amabile patet scenæ proscenium. Papæ! quid video? in talarem sagata defluit Epomis; epomis, plicatur in Rocchetum; Rocchetum, in mille albicantis sindonis jactatur fluctus; fluctus, nivescunt in Albam. Doctoris annulus, fæcundatur in manipulum; torques defluit in stolam. Torquati fasces! galerus in Tiaram; Tiara in lunam supinatur. Iterum SALESIUS; an stylo, an ingenio indigner? Proteus! Iterum inquam: novum mysterium! in mysterio Gordius. Amor, nuper occultus, ecstaticus, nunc infulatus. Jam ad aras usque penetrat; & unctus, & sacer esse cupit, qui antè Sacerrimus.

Ex Vita Con- Consecratur in Episcopum: Vos dicite neo-unctum Christum.
secr: in Epis: Præsulem veneror Sanctissimum, & Christum adoro in SALE-
& Gribaldo SIO. Imparia sunt metiendo Gnomicorum pantometra, cui
Archi-Epis: CHRISTUS decempeda. Elingves fiunt Tullii ad magnitudinem SALESII. Oratorum umbra, Hipparchion sum, ubi ipsa sui præco fit magnitudo; Orator, Amor; Svadâ ipsâ fa-
Viennensi. cundior perorat SALESIUS. Audite: *Dum unctio Episcopa-*
lis capiti meo adhibebatur, cognovi me evehi ad eam dignitatem, ut CHRISTUM in terris, tanquam in me spectabilem redderem. Quantus CHRISTUS; tanta ferè imago Christi SALESIUS! Quantus SALESIUS; tantus Amor! Apelles fuit; ad proprium modulum pinxit SALESIUM, & adumbravit Christum: se in utroque. Dilexit multum: Christi de Magdalena est encomium, amoris meritum: peccatorum remissio. Poenitentis Amor pecata mergit propria, & gratiæ unionem, in lacrymarum pista-

Zac. 7.v.47. tur

tur turbido. Amorem ab humilitate metire , etiam Gigantem , cui pedes decempeda. Sedebat secus pedes , gratiam , non in oculis , sed pedum vestigio inventura. At major SALESII amor : totum in se spectabilem reddit CHRISTUM , & se in Christo. Magdalena Amor , sacro ignium comitatu , proprietorum depopulatur delictorum metropolim ; SALESII orbis universi : dum non habet propria , Innocentiae Camillus , *semper In-*
nocens. Depascitur SALESIUM amor , & Salesius amore redanimavit orbem , tantus ! attollite neo-uncum Christum : & in ecclastico Salesiani amoris raptu feliciorem frigore emortui mundi , dabo anastasis. Spectate : Arctoo pravitatis haereticæ glaciatu gelu universus penè algebat orbis ; dixisses : in fidei deliquio glaciatum mare. Riget inde Sabaudia , tritet Taurinum , torpescit Tononum , Religio lytrô dementata in impietatis haras corruptitur ; larvata simulatur pietas in haeresim , sine capite Romano Acephala hydra , septicipiti progenie , in septicollis armatur excidium. Proh miserandum chaos ! At ! macte animis ! exitiosum animorum virus , orci toxicum , pestilens vitiorum carcinoma ; adest , qui restinguat Aesculapius , SALESIUS. Adestit , qui reviviscit hydram , depilato in Calvino plectat Alcides ; adest SALESIUS. Qui Bezam , infamem Hesperidum Hesperum , virulentum sopiat Draconem Jason ; adest Salesius. qui quartam Averni furiam exarmet Lutherum Bellerophon , adest Salesius. Adestit denique , qui putrescentem in scelerum mephitici , fædaque errorum uligine orbem resuscitet (fax novi Promethei) Amor SALESII. Do hujus spectaculum : stat Gebenensis Antistes , imò armatus amor ; Et iterum (cedo amori ludenti) nova Scena ; Insula , in salutis armatur Galeam ; Planeta , in fidei solidatur Ioricam ; Pedum , acuitur in gladium ; in missilem ignium Phaëtonem accenditur Philothea. Amoris haec panoplia ; Virtutis armatura ; Zeli aphorismus. Tessera : minima , maxima Paulana Charitas ; SALESII Amor , vaticino ore spondet victoriae lauream : *fortis ut mors dilectio.* Vixque galeatam hostium Pharsaliam ingreditur , & Scythicum Aquilonis frigus in amorfum gratia meridiem , amoris Aethnam incalescit. Assurgunt in obices deponrana Alpium cacumina ; transcendit. Rrigida Apennini juga ; transvolat . aut filius columbae , aut filius

Boanerges : At in amore Salesius. Tange montes , & fumigabunt ; Inambulat hos Evangelizantium pede SALES IUS , & ad pedum Romanum , montium curvantur pedes , etiam coronatorum. Quorum montium fumus ; dum mordaci ferit oculorum crystal- lum dente , lacrymarum ros in fidei gelatur unionem. Hoc satis gloriofi : quod Romæ cedant in triumphum , SALESIANO Amori in trophæum. Canit lesium sibi amoruni Incendiarius , alijs opinion :

Ovid: Fa.
flor: 6.

*Est DEUS in nobis , agitante calescimus illo ,
Spiritus hic sacra semina mentis habet.*

Spiritus , vitæ anima : tauri oculum , accendit cælum in stel- lam : Taurinis , Lucifer tenebras affudit ; has in diei animaturus prolem Phosphorus S A L E S I U S , igneum amoris insuffavit Spi- ritum , ut fierent in animam viventem. Erexit flammæ chari- tatis ardore Allobrogis aras , ut Vestali flammæ , casto amori in Hecatomben caderent victimæ coronatæ. Vos ego hic appello redanimata nuper gratiæ cadavera , Segusios , Burgundos , Sal- gos , Delphinates , Parisios , facerrimô hōc cestrō percitos , Pau- lanæ , an Salesianæ charitatis ? qui avitæ religionis sœcula uno in Salestij amore , Paulana charitate , revixisse credebatis.

Serenârunt (fides est Historiographi) mæustum Patriæ vultum , Curtii , Leonidæ , Decii , sed præpostero errore consule , imma- turo vitæ dispendio. Peperit Salesius , non modò Patriæ , sed orbi ; non cruoris , sed amoris profluviô ; salutem , vitæ melio- ris emolumento. Orbi inquam : Et in illo Raconiis , Bono- niis , & præterea millibus duobus supra septuaginta. Quantus populorum Oceanus ! quos Salesius ex epidemica Calvini , Luthe- rique lue , in cimmeriis hæreseos tenebris cæcutientes bubones , in Romanae lucis Aquilas efformavit. Ad cujus lucis calorem , rigescientia pectorum marmora , animata Caucasi frusta (gemellus Moysi , pastorale Pedumi , Mosaicum crederes scipionem) a- moris admota face in ceram liquantur. Amorem armat timore , hoc prodigium in compendio : timetur amando , amatur timen- do. Est Salesius Amor Jacobi Angliae , Emmanuelis Sabaudiæ , Henrici Galliae , Clementis Italiae ; sed : Est & timor caduci Calvini , desultorii Lutheri , Bezæ hæreseos Goliathi ; Geben- nax ,

nae , imò Gehennæ Præsidis deponit. O ! si suum etiamnum
in Medusæ durata Marpesiam Ghenna sustineat Perseum ! suum
audiat Orpheum Salesium ! ope cuius cum laureata Euridice , ex
Gehenna ad superas veræ fidei auras daretur redemptio ! Qui-
scite jam , & vestrae , quem vivitis , vitæ florem , & sacratori
in rosam substernite Adonidi , & Thaumaturgæ SALESII Char-
ritati in homagium dedicate. Non turbabo sollicitum obsequii ge-
nium . Ad inanimata deflecto stylum. Non enim sat erat Sale-
siano amori , meliori vivos auxisse Anastasi : domesticum SA-
LESII prodigium , patrare miracula.

Exhumata charitas ! in ferream mortis legem intorquet sty-
lum , quem natura adorat accidua. Vix se amorem crederet , nisi
mortem ipsam , sibi suppedaneam animaret. Thaumaturgus Ar-
chiater amor , deflta in putredinis massam (stabulante vermum
exercitum) corporum compage , litatasque Acheronti viætmas ,
novâ vitæ aurorâ illustrat. Non cæcus , oculatior Argô , A-

mor. Lippientes Tiresiarum pupillas in soles illustrat ; Item ex Vita
dissoluta in paralysin membra , in gigantem compaginat vigo- mortuos re-
rem. Ita nempe Apoltolorum æmula , Paulana in SALE- suscitat &c.
S I O Charitas ; pari insignitur thaumate , virtute pari. Nec
fides placet , sinè Paulano charitatis oleo. Tanta ! detumescunt

inflati fluctuum Gigantes : venti & mare obediunt Ei ; etiam pusil- Matth. 8.

la , ut sinapi granum , montium transfert molimina. Demonia v. 27.

ejicent ; hæc charitatis professio : etiam exleges inferos , lege , Mart. 16.

velut lupato , induit , atque cicurat. Hæc Jurisdictio : æternæ v. 17.

veritatis juramentum est : portæ inferi non prevalebunt adversus eam. Matth. 16.

Lingua ignea festivus Pentecostes est apparatus : Divini Paracliti v. 18.

donum est. Lingua charitatis , Paulana est characteristica. Alcen-
dit cælestè gloriae Capitolium VERBUM , & igneo linguarum

depluit cataclysmo. Ascendit charitate ad DEUM Salesius (In-
carnati VERBI germana effigies) & charitas arsit in ignem , ig-
nis in linguas , linguæ in DEUM Spiritum , Spiritus descendit ad

Salesium.

Nova obumbratio sub Spiritu charitatis ! Indè illa gemina-
ta incendia Salesii : parcius Domine ! parcius ! O ! Salesi , assequor Creux : par.
jam nivei illius Turturis ingenium , tuum non semel verticem 2. cap. 4.
candidantem ! Quid credam aliud ? quam columbinæ Charitati

*Creux. p. 4.
r. cap. 4.*

*Marci 16.
r. 17.*

*Bajerl. in Of-
fic. de S.
Sales.
Script. Phi-
lothei.*

*Creux. p. 4.
sap. 14.*

*Vite par:
4. cap. 14.*

*Alexander
VII. in Epis.
ad Abb. S.
Anast.
Ex Vita,
S. Thom.*

Tuæ Divinum illum Spiritum candidum adjicere calculum in suffragium. Scio : Seraphicis manibus , conclave Tui secreto flammea illata astrolabia , Colosso igneos , quibus totus in Regionem cœlestis ignis è terrestri sphæristerio attolli videbaris. Quid dicam aliud? quām non modò linguis Te donatum igneis , sed incendiario charitatis igne cælitus delapo ; quō rigentem Aquilonari frigore Universi Machinam animares. Par Apostolis! *linguis loquentur novis* : Apostolicæ Magnitudinis prærogativa est : Spiritus DEI , Spiritus linguarum , summa Magisterii. Tu ô! Divinissime SALES I ! domesticâ loquens linguâ , locutus es omnium ; dum orbem ad fidei amissim erudivisti. Quater supra mil-

lies Evangelicam rorâsti auroram, & quō penetrare non valebas charitatis linguâ , misisti Philotheam , cordis tui Seraphinum. Audivit : & suum adoravit Apostolum Rhetia , Sabaudia , Aquitania , Gallia , Italia , & in his Taurinum , Tononum , Cambrium , Anecum , Talorium , Dorbaum , Gexum , Antuates , Saluciæ , Gratianopolis , Avenio , Geneva , Lutetiæ , Lugdunum , Roma , adoratque hodiecum , quō igneum amoris melos penetravit , orbis universus. Scriptis Seraphicam amandi methodum amor ; & Cælum terris illaturus , arctavit illud in Philotheam ; *Philothea cælum Angelicumque Spiritum sapit*. Gustavit , & fastus est , coronatus Angelicæ Angelus , Rex Jacobus. Novum mysterium ! Isaïæ revoco oraculum , olim complicabatur in librum volubilis illa cælorum machina , nunc Salesii Philothea , explicatur in cælum ; tot sphæris , quot foliis ; tot motibus , quot lineis ; tot stellis , quot verbis illustrissimum. Ille in Ezechielis ore Hyblam induit ; Philothea dulcia super mel eloquia gemmat. Si Mundus Basilio liber est è magna Antonii Bibliotheca ? audax dixero : Philothea Salesii cælum est. O! quām alias foret etiamnum mundi stylus , vel uno foliō versô Philotheæ ! Fulmen est ; si eloquentiæ spectes Periclem ; flumen , si Tullium ; lumen , si Demosthenem : Amoris quinta Essentia , si affectum. Adscriptis Philotheæ , quod ei post DEUM debebat ter coronatum caput Alexander VII. Annis bis denis se à culpæ macula prætervatum : præsentissimum contra vitia antidotum : è tripode Romano haustrum oraculum est. Bene scripti de me Thoma : acclamantis CHRISTI est elogium. Tot Aquinatis Summam constare miraculis , quot penè

penè tunc : Vaticana echo est. Adoro æternum VERBUM, In eadem.
veritatis Encomiasten. Aquinatis deveneror sublimitatem, in sub-
limitate nîl derogo subtilitati. Id unum assero : Philothea Sale-
fii, Divinus partus, compendium est Divinitatis. Sat dixi : dicen-
do compendium.

Vos AA. OO. ex hoc compendio Paulanæ charitatis, Sale-
fiani amoris Ecstasim erudere. *Conchylium est Salesius, quod Divi-*
nitatis gemmam continet. Alexandri Vindocini Magni Franciæ Prio-
ris, Equitis Melitensis effatum est. Cor, conchylium ; Amor, Sa-
lesius ; gemma est Divinitas. Utrumque Vestrum Patres Religio-
fissimi ! conchylium Vestrum ; vos Corculum Eugenio IV. Ve-
stra gemma, Vos Thesaurus Paulo IV. Cor Antonii una emol-
livit gemma Cleopatra ; Cor Salesii, gemmam conclusit Divi-
nitatis. Iterum utrumque vestrum : cor, Amoris ; cordis, cæ-
lum est capitolium ; Sacerrima familia vestra cælum est Leoni X.
Vos pupilla Innocentio VIII. oculi sunt in amore duces, pupil-
la fax ; centrum Salesius. Vos amplexus Alexandro VI. ample-
xus sunt amoris retia ; charitas, hamus ; præda, Salesius. Vos
osculum Julio II. osculum, amoris est characteristica ; charitatis
typus, os osculi Salesius. Vos Delicium Gregorio XV. voluptas
Paulo V. Delicium in voluptate, voluptas in amore ; amor est
Salesius. Vos denique amor estis Clementi VIII. & iterum A-
moris Amor, vester est Salesius. Finxit Antiquitas Pana Arca-
dium Deum, superatum ab amore ; verius Salesii *triumphat deo*
Amor.

Parcite cœlestes Cynosuræ : unum ausim : Ipsum D E U M
alicubi exulem Salesius revocavit. Inquietus Ægypti amor, tu-
lit epigraphen : *dones potitus amore.* At Salesius jam potitus a-
more quiescit. Exordio vitæ, correspondet Epilogus. Nascenti
vox prima : *D E U S* exspiranti ultima : *J E S U S.* Utique amoris. Cœrx. p. 5.
Elogium, ipse sibi concinnat Amor Salesius : *aut amore, aut e-*
mori, mori, & amare. Adhuc post fata ecstatico amoris vivit
Spiritu in Minimorum Paulana Charitate. Erat Charitas Fran-
cisci de Paula Magni Minimorum Patriarchæ anima ; erat & Sa-
lesii. Dixitles bis natum esse unum, & uno extinctos fato binos.
Utriusque vita fuit unica charitatis unio : amoris Ecstasis. Nec
poterant die obire aliâ, quam Innocentum : * ambo Innocentes. * 8. Franc.

Cœrx. in
Vita.

Ex Gallia
Minimorum

S. Bernard.
Serm. 64.
in Cant.

cap. 10.
Vita p. 5.
cap. 10.

de Paula mo- Impar est orbis dimetiendæ Salesii magnitudini. Cujus Amoris
ritur die Pa- circumferentia fuit infinitum, terminus æternitas; orbis nun-
raſceres S. quam vidit suum. Dimensus est Bellagius Episcopus; & parum
Salesius die dixit: dum parem orbi pronunciavit. Metitur Aurelius, peritis
SS. Innocent. fissimus Amoris Divini Geometra; Audite gnomen ad mensu-
Ex Vita. ram: Terram diligis? terra eris; *D E U M* diligis? quid dicam?
S. Auguſt. *D E U S* eris. Vos Patres Religiosissimi, cæterique AA. OO.
trah. 2. in e. 2. Jogn. si factō ad hominem argumentō, si lubet, formate conse-
quentiam. Augustinus dixit;
ego non
D I X I.

